



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XVI. Monachi in accusationem abbatum suorum sunt admittendi, eisque de monasterio expensae necessariae debent administrari. Item contra confirmationem summi pontificis non est aliquatenus iudicandum, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

quod cum in puerili ætate constitutus fuisset, se Hierosolymam disposuit profecturum: & cuidam confocio suo, qui nihilo minus dominicum sepulcrum proposuerat visitare, fidem dedit, & suam ab eo fidem recepit, quod sibi inuicem in via fideles existerent, & bonam societatem seruarent. Qui vtique sollicita mente reuouens, ad nos accessit, vt sibi super hoc nostrum \* auxilium aperiremus. Nos autem ipsum graui infirmitate laborare, sicut asserit, intelligentes, & quod in partibus orientis eius aduentus parum vtilitatis conferret, diligentius attendentes, præsertim cum sit clericis illicitum in sacris ordinibus constitutis arma assumere, aut effusioni sanguinis vacare, ipsum a voto quod in ætate tenera, facilitate animi potius quam ex arbitrio discretionis, promisit, absoluimus: ita tamen, quod idem votum eleemosynis redimere debeat, & iuxta consilium nostrum toto vitæ suæ tempore vni pauperum Christi, dum ad hoc suæ sufficiant facultates, tam in victu quam in vestitu providere.

## C A P. XVI.

*Idem V Vigorniensis episcopo, in 12. libro registri.*

Ex parte tua huiusmodi nobis conquestio proposita fuit, vtrum monachi in accusatione abbatum suorum aliquatenus sint admittendi. Super quo vtique tuæ prudentiæ respondemus, quod nisi alia rationabilis causa impediat, & manifesta, eo quod monachi de obedientia & subiectione abbatis sunt, ab eius accusatione non sunt vllatenus repellendi, licet alios accusare non possint. Quibus siquidem, cum proprium non habeant, de rebus monasterii expensæ debent necessariae, donec causa debitum finem recipiat, ministrari. De confirmationibus autem Romanorum pontificum, tuam volumus cognitionem tenere, quod contra illas nisi nouum apostolicæ sedis mandatum procedat, aut certum sit, quod ipsæ confirmationes per falsam sint suggestionem obtentæ, non est aliquatenus iudicandum.

C A P. XVII. *Idem Beluacensis episcopo.*

Quod nobis ex vna parte significatum est, vt ex claudestinis matrimoniis dispensare deberemus, non videmus